



complures annos in manus meas pevenirent *Notæ criticae & Theologicae in N. T.* D. JOH. MICHAELIS, Theologi quondam Gryphisvaldensis, famâ pariter meritisque in Ecclesiam orthodoxam longe Celeberrimi, eò connitendum esse judicaverim, ut communis Ecclesiae utilitati infervirent. Itaque collato consilio cum Theologi Filio, PETRO MICHAELIS, Ecclesiae Demminensis in vicinâ Pomerania Svecicâ, quam sanctis non minus laboribus, quam in culpa-tæ vitæ exemplô jam diu ad perennem nominis sui gloriam exornat, Proposito, ut in lucem publicam prodirent, sedulo curavi. Multi jam præterfluxerunt anni, cum easdem evulgatione dignus judicâret Theologus, immortalis, si ea in hac mortalitate cuiquam contingere posset, vitâ dignissimus, AUGUSTUS PFEIFFERUS, qui easdem & suis observationibus locupletare induxerat animum. Unde & factum est, ut illæ pro typographorum more Lipsiensi catalogo, tanquam prodituræ, infererentur. Quo deceptus is, qui ante triennium *Bibliothecam Portatilem Exegetico-Biblicam* edidit, inter eos libros posuit has *Notas Criticas*, qui in publicum jam evolarent. De pretio harum Notarum nemo rectius judicare poterat, quam qui omnem propemodum vitam in S. Literarum scrutinio contriverat, meâ laude major PFEIFFERUS. Loqueturque res ipsa, quoties collibuerit notas ipsas consulere, observare vocum locutionumque emphases, in iisdem deprehensas, sensumque ex linguæ genio & contextus serie repræsentatum. Et quanquam ex tanto tempore, quo illæ conscriptæ sunt recentiorum industria & sublime indagandi studium, multa perquisiverit forte, quæ anteriores illos latuerant, in innumeris tamen aliis lucem & hæ Notæ, cum solido fructu & legentis summa voluptate conjunctam, lectori præstabunt. Inæstimabile verò iis pretium conciliabit observata  
vata